



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1666

46. Alia ibidem mirac. in gratiam ægrot; nautarum sitientiu[m];
nauigantium; piscatorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10854

mo rem esse, nempe ad Sancti effigiem, adessent, & experirentur. Delirare his senex principio creditus; cœterâ, sibi cum belle constaret, & abesset locus aliquot tantum passus, accurrunt Christiani frequentes, & ethnici, vident, inspeçant, tangunt, aquam meram olei usum dare, fraudem nihilo fecius & præstigias veriti, præsertim infideles, ipsi per se rem experiuntur, simplici aqua, & nouis ellichniis lucernas aptant, quam multas cuique sua vel infidelitas, vel curiositas suggessit, quæ omnes pariter eodem miraculo arserunt, incensisque vna omnium animis prouoluti in genua Christiani; sublatis in caput ritu suo manibus ethnici, Sancti prædicant laudes, Christianorum Deum præpotentem magnificè celebrant; sparsa hinc prodigij fama per iunctam hoc promontorio vtramque oram, earumque mediterranea, peregrinos vndique ad sanctum Cotatensem (ita nominabant) magno numero acciuit, Mauros, idololatrias, Christianos, quibus sedulus, & gaudens ædituus miraculi præstantiam, nouis ab fatietatem experimentis commonstrabat, quam & pœtico cantu persecutus est eleganti, lateque per Indias solito decantari. Longum sit dicere quot modis quàm multorum vel pietas, vel curiositas hic sibi indulserit. Lichnos secum nouos quindecim tulerat Manaparensis Parauas, aquam omnibus infudit, omnes accendit, omnes aqua vidit vice olei ardere. Obtulit Antonius Caiadus plenos oleo sexaginta ob recuperatam, Xauerij dono, videndi facultatem, sed alios quinque probaturus & ipse miraculum, cum aqua concinnasset, dies quatuor solidos vidit perinde lumen ministrare, vt quos oleum alebat. Denique Bellarius Totius, ibidem quoque ædituus, quoties oleum defuisset aquam lucernis consueerat infundere, eaque semper lumen pro oleo nutrire. Nec minus mirabile quod multorum obseruatum est oculis, si quo casu extingui lucernas contingeret, accedentibus iterum accensuris, seipsis denuo seu ministerio potius beati genij omnes simul solitas reaccendi. Neque tamen hic thaumaturgus Apostolus, fixit beneficiis suis metam erga suum ædituum ac pœtam Peremalum: perstringo reliqua priusquam vterius pergo.

Sæuus illum quandoque intestinorum inuasit dolor, & cassis penitus ad eum leuandum remediis, coram Xauerij consistens imagine ferre potes, ô Pater, inquit, æditui tui, tibi diu noctuque solliciti, tam acerbis cruciatibus diuelli viscera: nec manum admoues salutarem? paucis his confidenter queri desierat, simul desit dolor nullo in posterum eius sensu. Sequitur lepidum, atque vt leue sit, minimè omittendum. Die quodam artosum à muribus conopæum Altaris cum deprehendisset, & ex triplici plaga bene grandi coniiiceret minoris bestię non fuisse id crimen, neque aut grandem muscipulam, aut eius instruendæ haberet artem; constitit, vir simplicissimus, ad Sancti altare subiratus, & his illum verbis affatus est (quæ ipsemet testis, in actis iuridicis à se ita concepta dictauit) Aiunt P. Franciscæ obiisse te apud Sinas; te Sanctum fuisse; corpus tuum Goæ putredinis expers integrum asseruati; tui vero templi ædituus ego sum.

P p

sum.

46

Alia ibidem
mirac. in gra-
tiam ægrot;
nauarum fi-
cientiũ; nau-
gantium; pis-
catorum.

sum. Tibinè ergo videtur decere, vt tui altaris conopœum, forex arrodere ausus sit? debes illum omnino, mihi mortuum sistere. Quacumque de forma hoc argumentum d:prompserit, certo tamen quod voluerat euicere, postridie mane referaturus templum, ad illius fores reum murem mortuum inuenit, & quidem magnitudine admodum enormem. Quo eius supplicio magnopere gestiit.

Aquæ prodigio vicem Dei præbentis, & mutata natura, ignis pabulum factæ, cuius per se interitus est, vix aliud latius Xauerij gloriam inter illos ethnicos diffudit. Sunt tamen ab ipso & alia, in eodem elemento mirabiliter edita, in subsidium necessitatis alienæ. Illud notum imprimis inter nautas, quoties malacia tempestatibus interdum grauior, aquam omnem moris longioribus consumpsisset, quo mortis genere nullum nauigantibus incumbit crudelius; toties illos ad S. Xauerium & confugere solitos, & Sanctum iis opitulari consueisse, vel aquis marinis exempta salugine; vel immixtis extra ordinem anni, ventis; quibus in littora ignota, & insulas eiectæ naues, aquationem in iis facerent. Nec ab simili dono inter piscatores vtriusque hinc inde ad cornu Comorinum plagæ; si annus mare negasset pisculentum (vnde ferè iis victus suppetit) iacta S. P. Francisci nomine retia, tot referta piscibus ducebant, vt si forent in mari fecundissimo piscati. Iam sedatæ procellæ, conuersique in fauorem venti, eo numero sunt vt cogar hic paucis satisfacere lectori. Nauigabat Cocino in Bengalâ Manuel Sylua, ibant vna vectores, & mercatores quamplurimi, cum exorti de repente venti, maria euertunt, vela dilacerant, diuellunt malum, & antennas, puppim debilitant, nauimque propè omnino spoliant superioribus armamentis, vndas vero in montes atrollunt, (sic qui aderant testes ex re vera, non amplificandi gratia se loqui aiunt) arte ergo & ope destitutis iactura sit omnium mercium, omnisque ponderis, nudum nauis cadauer cum semimortuis quos veherat, maris arbitrio iactatur, & fluctum omnem sibi retar lethalem; cumque nulla miseris spes esset aliunde, superos omnes in auxilium vocant, interque illos Xauerium. Mira res, & aspectibus omnium aperta & euidens. Vnda imminebat formidabilis, nauim à latere incurfura, cum in clamato S. Francisci Xauerij nomine velut fræno inhibita retro cessit, seque à nauim procul, ipsa reforbuit. Quo animaduerso, deinceps ad minas fluctuum singulorum, vno omnes clamore Xauerium in opem exposcebant, & fluctus aut scindebant se medios, aut aliòs impetum flectebant: quæ sancti admirabilis tutela, ne fortuitis attribueretur Oceani motibus, si quando illum vocare negligenter, tunc vero vnda: quò natiuus rapiebat furor, velut deposito sancti viri metu, periculosè nauim illidebant. Ita continuato per fluctus singulos miraculi beneficio tandem incolumes in regnum Bengalæ, duce Xauerio sospitesque appulerunt. Nec adscribâ plura in hocce genere, quò obsit sua narrandis multitudo, inter Sinas præfertim, & Iaponiam editis, quo nullus est vasto in Oceano, nautis horribilior tractus; hunc autem vt salui enauigent pro solenni habent pictam

Xauerij tabulara malo appendere cuius tutelâ tempestatum aut frangitur impetus, aut vndæ mansuescunt.

Iam de Xauerij in ventos imperio, nauibus in portus opratos, extra statas anni periodos deducendis, vnum aut alterum subiungo. Coulanum redibat Franciscus Rodriguez cum sociis nauibus, & Goducherini promontorij æstuosa, fyrtesque declinans, altum semper tenebat: Sed iis cœpit ventorum, imbrum, vndarum turbinibus vexari, vt fœderati quidem, nauigiis fulti munitioribus, per aduersa omnia tenderents ipse, tam violento impar discrimini, editioris loci se supercilio tegetet, mœstus, & afflictus quod efferato iam in procellas anno, mare illud occiduum in multos menses clauderetur, essetque sibi illic hiemandum. Dies in anchoris agebat duos, sortem lugens acerbam, & suo commercio damnosam, cum succurrit dolenti Xauerius latè orâ illa prodigiis celebratissimus, & præsentiissimum quibuscumque angustiis eorum qui ad se fidenter confugerent remedium. Quare illi se ex intimo committens, vouet eius Cotate ornando templo cortinas aliquot, si eius beneficio Coulanum ante portas oclusos attingeret: vouerat, votique confestim fit reus; ponit illico mare, versus à puppi adspirat ventus, soluit Rodriguez, semperque oram legens (quod & tutissimis anni periodis intutum, & periculosum) Coulanum applicat. Sociorum naues quæ contra vim maris, cursui suo institerant, oëtiduo post apparent, sed occupatis quâ tempestatas trudebat variis portubus, nulla earum Coulanum appulit. Simile aliud non absimili in causa promeritus est beneficium Gonzalus Mendez, natione Indus, Brachmanes genere, nisi quod habet quiddam præterea valdè singulare: transibat is quoque Cocinum versus, ex ora vna in alteram, sed obitante iam hiemis importunitate Comorinum Cornu vi nulla transgredi valuit. Naues septem quibuscum inuito fœdere soluerat, quod essent robustæ, magno vltierius conatu prætergressæ, inde sexto vix milliari, in sinum coniectæ sunt Cotati oppositum. Persuasus Mendez Cocinensem in portum euasisse saluas, eò dolentius infortunium ferebat, quod Tuturini solus esset hiemem & lucra mercium perditurus. Ardenter itaque Xauerio supplex, spondet se Cotate illius Ecclesiam donario aliquo insigni aucturum. Paranti nihilominus in diem proximum è nauis merces educere, apothecis melius seruandas, spectandum in somnis se præbet Xauerius; hominem consolatur, vetat merces mouere; sedatum iri post triduum ventos, & maria, Cocinum prosperè peruenturum. Quod haud secus, ac erat pollicitus dies quartus effectum exhibuit.

Aspectabili hac sui præsentia non enumerabo quàm multis adstiterit Beatus Indorum Apostolus, eorum vel animis, vel corporibus medicinam facturus, ne similibus historiam onerem, vel debitis mutilem, pauca solum eius exempla hic referam. Indus arte Catambis, vt vocant, hoc est magister literarum, Ioannes Fernandus nomine, impuris amoribus irretitus, noctu ab iis cum rediret, in ædem haud procul Manapare sacram, abdebat sese, vbi celebris prostabat B. Xauerij imago, lucem illic operiens

Pp 2 ne

47

Multis videntur se exhibet in eorum salutem.